

1527

militum, qui Angliæ Regis pecunia sustentabantur, ad decem millia. Reipublicæ vero aderant in Insubribus, præter equitatum, quindecim peditum millia, quibus oppida, atque urbes, quæ nuper in potestatem foederatorum venerant, tueretur, omni spe Francisco Sfortiæ auxiliorum adempta, quod summa omnium egestate premeretur, afflictis, ac perne eversis urbibus, neque ad illas præsidiis militum firmandas idoneo, ne dum ad emitendas ex foedere copias, ut Antonii Levæ conatibus obsisteret; ut totius belli in Gallia Cifalpina pondus Reipublicæ incumberet; quæ non minus pro Sfortiæ incolumitate, quam pro suis finibus tuendis laborabat, verita, ne vicinis belli facibus imperii fines exaraderent. Quapropter Senatus censebat, augendas vires esse, novos delectus militum habendos; quæ cum perfici, nisi ingenti pecuniæ vi, non possent, ab Henrico Angliæ Rege flagitabat Senatus, ne difficillimis temporibus Italiae decesset, cuius dignitatis, ac libertatis semper se patronum fore professus fuerat. Verum ille arma se in Germania inferiori adversus Cæsarem moturum dictitabat; eo uno Cæsarlis ab Italia conatus averti posse: Cardinalis vero Eboracensis suadebat, ut Italorum militum numero imminuto, Germano milite exercitus roboraretur, quod non nisi cum summa rerum omnium perturbatione fieri posse constans erat sententia; neque e re communi fore, ut Italæ gentis militari virtute, corporis, atque animi robore insignis, fama, & existimatio læderetur, a nostrisque ad Cæsareanos transiret; cum præsertim Italorum militum fortitudinem in urbibus expugnandis expertus esset. Neque vero his deterritus quidquam prætermittebat, quod sumptibus ad alendum, atque retinendum exercitum faciendis conduceret; & jam bellorum diuturnitate exhaustos Reipublicæ thesauros decumis, ac vectigalibus farciebat; cum interea cunctorum animos Lautrecii ex Cifalpina Gallia discessus admiratione affecisset, quod victoriam, quam manu tenebat, novo consilio desereret, Mediolanique potiundi, quod semper maxime Galli concupiverant, spes abjiceret, hostes ad extremam prope desperationem adactos erigeret, jamque confecti belli reliquias quandoque non absque magno incremento emersuras negligenter: varia namque cunctorum sermonibus serebantur, illumque

non